



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Cæsarius Mart. 1. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

eum Deos jam Romani plures ferè quàm homines numerarent, fanum exædificasse, in quod totus Deorum Dearumque grex stabularetur, & hoc ipsum ex re Pantheon dixisse. At anno, postquam Dii omnes uni cessere DEO, anno supra sexcentesimo, Bonifacius IV. PP. vacuum à demonibus locum lustrare aggressus, rectius hanc VIRGINIS MATER & Divis Martyribus sacrum voluit esse. In eam rem XXVIII. Divorum ossibus onustos currus cum triumpho, quàm potuit splendidissimo, induxit, simul ut ille ipse dies festus Romæ sanctusque esset, imperavit. Idem postea sub annum Christianum octingentesimum trigésimum quintum Greg. IV. per Occidentem sanxit, eam potissimum ob causam, ut quando, tum ob numerum innumerum, tum quòd viro- rum sanctorum pars longè maxima celo, non item terris nota est, non potest Ecclesia singulis diem donare, certè omnes uno die veneretur. Atque hæc sunt diei hujus festa exordia. Tu, si sapi- sis, numerum auge Beatorum. Nam ex omnibus Divis nisi tu etiam aliquando unus es, heu! nullus es. Ex Baron. & Mart. Rom.

Veneremur Sanctos, quibus traditum est trium- phale regnum, judiciaria sedes, Angelorum confortium, corporum immortalitas, beata visio, Christi conformitas, stellarum claritas, secunda mansio gra- ta societas, jucunda fruitio, & divini luminis sempiterna comprehensio. S. Laurent. Iustin. serm. de Omn. SS.

S. CÆSARIUS MART. 1. Novembrii.

Pæferebat jam penè ipsi Romæ sese urbs Anxur, quòd quem semel illa omni ævo Cur- rium

tium ostentarat, ipsa quotannis exhiberet Italiae. Nimirum vidisses Kalendis Ianuariis lectissimum quemque è juventute equo & armis conspicuum pro salute Reipul. è sublimi monte in undas ire precipitem, eoque facto nomen apud cives patris patriæ promereri. Et verò sceleris hujus irritamenta scelera erant alia, quæ sex aut octo totos menses inter omnem luxum & petulantiam impune piaculares ejuscemodi hostiæ perpetrabant. Enimverò cum ei spectaculo interesset CÆSARIUS ex Africâ redux, palàm facti atrocitatem verbis castigavit. *Insaniam esse, urbem, ne olim pereat, in flore suo facere perire, & ut serventur cives mali, optimum quemque ex his occidere. quid hoc aliud esse, nisi orco victimas sceleribus saginare, & sceleribus velle Superos demereri?* At non ita sentire dux superstitionis Firminus, cujus impulsu Leontius vir, consularis triduanâ fame *TEXÆUM CÆSARIUM* ante currum ad Apollinis templum egit, nudum illum, sed paratissimum sic ad luctam. Et victum se fassus est Apollo precibus Divi, cum templo & sacrificulo Firmino in terram dejectus sepultusque. Sed & Leontius post annum carcerem & inedian athleta Christi succubuit, priorque CÆSARIO pro fide mortuus est, qui demum culeo insitus cum Sacerdote Iuliano in mare demersus est (ut ipse piè jactabat) & natus cælo & denatus. Certè haud paulò rectiùs pro patriâ mori Iuventam docuit.

Ex Lippeloo.
Quid tibi cum carne & sanguine, qui divinam in te gestas imaginem? quid tibi cum mundo & vitis, qui ad hoc conditus es, ut calum conscendas, atque cum Angelicis Spiritibus beatâ Dei visionem? S. Laur. Justin. de Cont. mundi. c. 21.